Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2873
Quelle:
Copyright:

ſcopis. et uniuerſis chriſtiane fidei cultoribus. Piſanus archiepiſcopus. et alii epiſcopi. et Godefridus dux. dei gratia eccleſie ſancti ſepulchri nunc aduocatus. et Regenmundus (Raimundus) *comes ſancti Egidii. et uniuerſus dei exercitus qui eſt in terra iſrael. ſalutem et orationem* &c. *vt in omnibus bonis que uel nos uel illi apud eum meruimus. partem vobis deus concedat. Amen.*

DCCXCIV.

503 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 112. 4. non una manu exaratus et rubricis diſtinctus continet *Johannis Belethi*, quibusdam *Bilethi* aut *Bylyth* dicti *Rationale Divinorum Officiorum.* Theologum hunc, incertum *Gallum*ne an *Anglum*, Doctorem tamen *Pariſium Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib. Pitſeum* ſecutus claruiſſe ait anno 1328. quos niſi *Albericus* in *Chronico* ad an. 1182. refelleret, character quidem praeſentis *Codicis* erroris convinceret. Inſcribitur is minio *Johannes Beleth*, et incipit: *In primitiua eccleſia prohibitum erat, ne quis loqueretur linguis, niſi eſſet, qui interpretaretur* &c. Editiones iteratas hujus Operis enumerat *Fabricius Bibl. med. Lat. L.* IX. p. 56. Mihi adjacet *Dilingana* 1572. 8. quae a *Codice*, quod ad phraſim, mire variat. Hic porro non pertingit ad finem, ſed definit in C. 161. ſive *Officio pro Mortuis*, cujus membra inſuper non parum disjecta ſunt. Finis enim eſt: *pro ualde malis qualescumque ſunt conſolationes*; id quod in *Edit.* circa medium *Cap.* habetur. Poſt haec in *Cod.* prolixus locus adſcriptus eſt, qui ad C. 120. *Edit.* p. 222. pertinet, et de *Tempore Paſchali* agit hoc initio et fine: *Sciendum eſt quod per tres dies ſequentes paſcha feriandum eſt — — ſignificat paſca futurum quod erit in fine mundi.* Opus cetera pro cognoſcenda Sec. XII. Liturgia et Diſciplina eccleſiaſtica valde opportunum pertinuit olim ad *S. Cholomannum* Coenobium ſcilicet *Mellicenſe* O. S. B. in *Auſtria* infer. ubi ad compingendum illud adhibitae ſunt membranae Sec. XIII. continentes primo *Hildeberti Cenomanenſis* Ep. Verſus elegiacos *de Myſterio Miſſae* ab initio usque ad v.

Quas duo de Seraphim nocte dieque canunt.

Cumque in iis varia ad emendandam Editionem *Maur. Pariſ.* 1708. f. ſervire poſſint, juverit hic contentionem inſtituere. Itaque Edit. *col.* 1136. *Te tuus Emanuel*, Codex: *Te Deus Emanuel.* Edit. *col.* 1137. *quia quæſiit Author.* Cod. *quia quae fuit.* Edit. *quia quo tranſivit aberrans et velut a læva.* Cod. *quoniam dum perſtitit errans, in laeva veluti.* Edit. poſt Diſtich. *Quippe caput retegens* &c. omittit ſequens: